

16648 16.  
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
SINGVLARIBVS QVIBVSDAM  
**AERIS EFFECTIBVS**  
**IN CORPORE HVMANO**  
OBVIIS

---

QVAM  
AVSPICE DEO PROPITIO  
CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTA TE MEDICA  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
AVGVSTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS, MEDICINAE ET PHILOSO-  
PHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, IMPERIAL. ACAD.  
NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE ET COMITE PALATINO  
CAESAREO,

PATRONO, PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO  
AETERNA PIETATE COLENDO

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTO-  
RALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

D. AVGVSTI ANNI MDCCLVII.

PVBLICE DEFENDET


AVCTOR

**IOANNES DAVID HERRENSCHWAND,**  
MVRATO - HELVETVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
TYPIS KITTLERIANIS.

1478 1130



V I R O

*PRAENOBILISSIMO ET CONSVLTISSIMO*

D O M I N O

D A N I E L I  
H E R R E N S C H W A N D,

SENATVS MAIORIS MINORISVE MVRA-  
TENSIS MEMBRO SPECTATISSIMO ET DE PA-  
TRIA OPTIME MERITO AC MERENTI, PATR-  
ELI SVO HONORATISSIMO AC DILECTISSI-  
MO, PATRIS INSTAR FILIALI CVM OBSER-  
VANTIA AD VRNAM VSQVE  
COLENDO;

NEC NON

V I R O

*EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO*

*AC DOCTISSIMO*

D O M I N O

JOANNI THEODORO  
CHAILLET,

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO

FAMA ET MERITIS LONGE CELEBERRIMO,

AVVNCVLO SVO OMNI HONORIS ET PIETA-

TIS CVLTV AD CINERES VSQVE DE-

VENERANDO.

V I R I  
PRAENOBILISSIMI, CONSVLTISSIME  
ET EXCELLENTISSIME,  
FAVTORES AC PATRONI OBSERVAN-  
TER COLENDI.



*Vix ac ne vix quidem mihi ignosce-  
rem, nisi oblata hac occasione  
quantum VOBIS, Fautores  
optimi, debeam, significare mei-  
que erga VOS officii, amoris ac  
pietatis aliquod monumentum ex-  
stare curare vellem. Tanta enim sunt TUA, Vir  
Consultissime, in Rempublicam merita, quae  
nulla unquam oblitterabit oblivio: Tantaque eru-  
ditionis TVAE, Vir Excellentissime, & in  
artis medicae dexteritatis fama, ut diu jam ad ex-  
teros pervenerit eadem. Sicuti igitur haec NOMI-  
NUM VESTRORVM celebritas summam erga VOS  
reverentiam; sic paternus ille, quo me ab ineunte  
aetate ambo amplexi estis, amor, filialem in animo  
meo observantiam peperit ac effecit, ut quanti*

*VOS faciam quantumque VOS suspiciam & in oculis feram, publice significare aequum existimaverim justumque. Unicum est, FAVTORES HONORATISSIMI, quod VOS rogo, velitis ulteriore VESTRO favore atque benevolentia etiam in posterum illum amplecti, qui ardentissimas ex intimis cordium penetrabilibus coram summo, quod veneramur, Numine pro salute VESTRA & incolumitate preces effundet, qui que omnibus in VOS colendo, amando & obsequium praestando palmam praeripiet, & ad cineres usque perseverabit,*

## V I R I

PRAENOBILISSIMI, CONSVLTISSIME  
ET EXCELLENTISSIME,  
PATRVELIS ET AVVNCVLE HO-  
NORATISSIME,  
VESTRORVM NOMINVM

observantissimus Cultor,  
Ioannes David Herrenschwand.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
SINGULARIBVS QVIBVSDAM  
**AERIS EFFECTIBVS**  
IN CORPORE HVMANO  
OBVIIS.

---

PROOEMIUM.



Non dubito fore permultos, qui vulgarem nimis satisque tritam existimabunt materiam, quam pro elaboranda Dissertatione inaugurali elegerim; sed hi erunt fere, qui ex solo titulo rei praestantiam & novitatem metiri solent. Non ignoro, in scriptis mul-

multorum celeberrimorum Medicorum, illorum praecipue, qui mechanicam, uti vocari solet, medicinam profitentur, elegantia de aëre deprehendi theoremata; sed fatendum quoque, multa saepius irrepsisse, quae demonstrationis rigorem ferre recusant, quo inter alia refero subtilissimum illum spiritum aethereum, qui cum sanguine nostro misceretur, ipsi ruborem conciliet, & fluidi nervei esset nutrimentum, nec non BORELLI motum oscillatorium, quae sane unquam demonstraverit nemo, ut taceam, multas ab aëre derivari morborum causas, quae nunquam in aëre, sed in reliquis sic dictis rebus naturalibus latuere. Sed condonanda sunt haec optimis Viris & de arte salutari insigniter meritis. Cum enim aëris qualitates ope antliae pneumaticae vix innotuerant, mirandum non erat, quod eundem aërem, qui fere tum unicum Physices objectum erat, ad corpus humanum adplicaverint ubi non adplicandus erat, & phaenomena explicaverint ex eodem non explicanda. Nostris vero temporibus cum Physici aëri non plura tribuant, quam quae ipsi revera competere demonstrari possunt, accuratius in hoc negotio versari

fari decet. Accedit, quod corporis humani exactam, respectu aëris, rationem non semper habuerint, illudque tanquam solam machinam hydraulicam consideraverint, neque satis ad ejus respexerint sensibilitatem, quae tamen est primaria, a qua mutationes ejus pendent, ratio. Non inanem igitur operam navasse mihi videor, cum, quid aër in corpus humanum valeat, secundum accuratiora recentiorum Physicorum & Medicorum, inter quos *celeberrimus* BOERHAAVIUS primo merito loco nominandus videtur, principia determinaverim, quod eo magis necessarium existimavi, cum vera theoria sit felicitis praxeos certissimum fundamentum. Faxit Deus, ut omnia cedant feliciter & in Ejus gloriam.





§. I.



terminos & limites scientiarum illicita audacia confunderem, si, quid aër sit, quodve hoc nomine veniat fluidum illud, aqua 900ies levius, pellucidum & elasticum, multis verborum ambagibus explicare & ex principiis suis demonstrare vellem. Docent id Physici. Ab iisdem quoque discimus, inferiorem aërem comprimi a superiori, adeoque inferiorem superiori semper esse densiorem magisque elasticum. Unde porro consequitur, superiorem aërem adeo expansum esse, adeoque rarum & subtilem, ut ultimos atmosphaerae adsignare terminos difficillimum sit, ne dicam plane frustraneum.

§. II.

## §. II.

Aër cum gravis sit, comprimet exteriorẽ corporis humani superficiẽ. Jam cutim hominis adulti viginti pedum quadraticorum spatium occupare docuit accuratior dimensio; aëris vero pressionem æqualem esse pressioni columnae aquae 31. pedum, siue mercurialis 28. pollicum, demonstrarunt GALILAEVS & TORRICELLIVS: unde levi calculo evincitur, cutem humanam ab aëre atmosphaerico premi vi 39680. librarum \*). Stupendum pondus! non sentitur tamen; cum pressio ab omni parte æqualis sit, & vires contrariae æquales se invicem destruant. Vix rerum physicarum ignaris hoc persuadebis. Sed cogitate increduli, quanta sit moles, quantumque pondus aquae homini incumbentis in undis sepulto; interim non percipit pressionem, non conqueritur de pondere. Sentiret certe & ægre ferret, nisi premereur ab omni parte æqualiter.

## §. III.

Foetus est pars matris gravidæ & fruitur utilitate, quam materna respiratio ejus sanguini praeostat. Sed productus in aërem, separata machina est, in qua sanguis circulatur perpetuo, qui ex globulis rubris compositus frictione ad vasorum latera necessario incalescit, expanditur, & angustiorẽ cordis sinistri cavitatẽ, an-

---

\*) Vid. Doctiss. KRÜGEBI Natur, Lehre 1ster Theil p. 299.

gustiolemque venam pulmonalem ingredi nesciens, circa cor dextrum stagnare & anxietates praecordiorum procreare incipit. Miser foetus auxilium quaerit, movet musculos, voluntatis imperio subiectos, omnes, ergo & respirationi inservientes intercostales musculumque diaphragmatis. Elevantur igitur costae, descendit diaphragma, thorax amplior redditur, vacuum inter pulmones & pleuram oriri incipit, irruit per os & nares elasticus aer, dilatat pulmones, vesiculae pulmonales explicantur, refrigeratur exaestuans sanguis, condensatur idem, tollitur anxietas, explicantur collapsa pulmonis vasa, cruor pellitur in arteriam pulmonalem, reditque a frigore condensatus per angustiolem venam & replet deinde minus multo ventriculi sinistri spatium. Aer vero in pulmones receptus, pulmonum calore, qui a sanguine proficiscitur, expanditur, incalescit, ad sanguinem refrigerandum ineptus redditur, molestiae redeunt, hinc thoracis cavitas imminuitur & iterum per asperam arteriam ex pulmonibus expellitur calidus aer, qui frigidus haustus erat. Facta est prima respiratio; sed denuo ortae, intermissa respiratione, anxietates, perpetuam ejus repetitionem imperant, eamque reddunt necessariam, inevitabilem, & tandem consuetam adeo, ut etiam nobis insciis & dormientibus exerceri pergat ad ultimum usque vitae halitum.

## §. IV.

Impedita vel plane suppressa respiratione, impeditur sanguinis per pulmones circulatio, ejusque ad sinistrum cordis ventriculum accessus. Sanguis igitur ad dextrum ventriculum congeritur, qui ab illo dilatatus ultra elaterem, quiescit, unde & sanguis subsistit, non fecernitur fluidum nerveum, deficit sensus & motus, sequitur mors, & quidem brevi in animali fune suspenso, tardius in aqua frigida submerso; aufert enim frigus aquae nimium sanguini calorem, condensat illum, adeoque conservat aliqualem circulationem minimamque sic vitam, quae augeri & restitui potest, aëre in pulmones vi impulsio, spiritu salis ammoniaci naribus admoto, & vehementiori corporis jaetatione ac frictione. Infelices cheu! homines, qui in aquis submersi & extracti habitique pro mortuis non raro sepeliuntur, cum levi auxilio vita ipsis reddi potuerit. Non igitur prius sepeliendos in undis suffocatos existimamus, nisi manifesta jam adsint putrefactionis indicia.

## §. V.

Externe igitur & interne adest, requiritur, prodest aër. Non vero ingreditur poros pulmonum, aquae quamvis pervios, neque miscetur cum sanguine in pulmonibus, neque viae ex aspera arteria in vasa sanguifera, a recentioribus detectae Anatomicis, id demonstrant; experimenta enim Physicorum ostendunt, aërem non perme-

are poros, quos aqua penetrat. Multo minus aër sanguini conciliat motum oscillatorium, qualem BORELLVS sibi imaginatus est, & progressum ejus adjuvat, quem potius perfecte impedit, in arterias inflatus, quoniam nimirum ipse vasa ingreditur, nequaquam vero sanguinem in ea penetrare permittit. Interim tamen adest aër in sanguine, quemadmodum id demonstrant experimenta antliae pneumaticae; sed non nisi cum cibo & potu in chylum & ex hoc in sanguinem ille inducitur. Reliqua ejus pars motu ventriculi & intestinorum tonico & peristaltico propellitur continuo, & insensibili aut sensibili specie per intestinum rectum evacuatur. Motu autem hoc tonico & peristaltico debili existente, aut saltem inaequali, aër remanet, calore expanditur, ventriculum & intestina distendit, diaphragma sursum premit, respirationem difficilem reddit, anhelationem gignit & suspiria, sanguinis per pulmones circulum impedit, anxietates creat praecordiorum, cordis palpitationes excitat, animo moerorem infert & tristitiam, quae omnia, unico interdum molesto flatu expulso, nebulae quasi instar ad breve saltem tempus disparent, id quod tristissima docere quotidie solent sapientum & hypochondriacorum spectacula. Motum igitur peristalticum vegetiorem aequabilioremque efficiendum esse indicat hoc malum. Quo fine medicamenta tonico-nervina, continuatus corporis motus, largior potus, amarae inprimis cerevisiae, fontium-  
que

que mineralium, spiritu copioso elastico terraque martiali praedictorum, quales praecipue sunt Pyrmontani, usus egregie iuvat. Specialior vero medendi methodus merito caussae procatarcticae & temperamento aegroti accommodanda est.

#### §. VI.

Gravis aër excessivo gradu, qui sustinet columnam mercurialem 56. pollicum, duploque igitur gravior densiorque consueto aëre atmosphaerico, pulmonem maiori pondere dilatat, magis ad pleuram adprimit, majorem partem pulmonis replet, minorem adeo sanguini relinquit, circulationem impedit, occidit. Docuerunt id experimenta antliae & campanae urinatoriae. Sed tantam aër sibi relictus nunquam acquirit gravitatem, cum experientia demonstret, mercurium a media aëris gravitate, quae in barometro 28. pollices mercurii sustinet, non facile altius, quam per pollicem, ascendere, quae est pars vigesima octava consuetae altitudinis, adeoque ordinarii ponderis atmosphaerae.

#### §. VII.

Hinc ab aucta aëris gravitate mors sequitur nunquam, & homines, exceptis asthmatis illa specie laborantibus, quae a paralyfi organorum respirationi famularium originem trahit, eo rectius valent, quo gravior aër est. Talis enim aër & internae & externae corporis humani superficiei robur addit applicatus, & vasa firmiora efficit

efficit redditque arctiora. Auget igitur vires parietum contra fluida intus contenta, auget frictionem, auget calorem; neque id mirum: robur enim cum sit vis, qua fibrae elongationi resistunt, hanc ipse aër fieri impedit violentius adpressus. Reclamat vulgus, noxium esse gravem aërem perhibet, levem salubrem. Sed ignorat tubi Torricelliani phaenomena, & mercurium aëre nebulofo existente ac humido descendere, serena autem ascendere tempestate, adeoque primo in casu levio rem esse, gravio rem in altero.

### §. VIII.

Experimenta a Physicis cum antlia pneumatica in diversissimis animalibus instituta, ostendunt, longe magis noxium esse levem, quam gravem aërem. Facile enim & sine ullo sensibili incommodo animalia ferunt aërem ita compressum, ut mercurius in barometro tribus uncias ascendat; imminuto autem ejus pondere, ut per idem spatium descendat, statim languere incipiunt tandemque misere pereunt. Vera hujus eventus ratio in ingenti cordis vi motrice posita esse videtur. Sanguinem enim tanta vi propellit, ut innumerabiles per cutim dispersae arteriae unica facta cordis pulsatione simul eleventur, quo ipso aëris resistentia superatur, quae cum sit 39680. librarum, facile patet, gravitate aëris paululum tantum imminuta, & mercurio in barometro per breve spatium descendente, magnam cordi & arteriis sublatam esse resistentiam.

stentiam. Jam, manente eadem vi, & resistentia imminuta, augetur motus quantitas sive virium effectus. Ergo, diminuto aëris pondere, vehementius sanguis in partes solidas aget, quam antea. Dilatantur ergo vasa, humores in loca peregrina migrant, oriuntur haemorrhagiae, & praecipue, ob diminutam aëris in vasa pulmonalia actionem, haemoptoe & peripneumonia; quin immo, rarefactio aëris si insignis fuerit, totius corporis quasi sugillatio. Cum porro fibrae pulmonum mesochondricae semper sint in statu violento, nitanturque se contrahere, id quod vel exinde patet, quod vulnere thoraci inflicto statim collabi soleat pulmo in illa parte, qua vulnus inflictum erat: sequitur inde, ut in levi aëre, adeoque raro, fibrae mesochondricae, ob debilitatas vires, quae illas extenserant, fortius constringantur, unde necessario oritur respirationis difficultas & asthma. Quare in illa asthmatis specie, quae a nimio fibrarum mesochondricarum robore proficiscitur, damnosus & molestus est aër nimium levis. Suffocationem metuentes aegroti, fenestras petunt, donec tandem ob debilitatam, nervorum compressionem, fibrarum mesochondricarum constrictionem, simul & semel ipsis redeat desiderata adeo respiratio.

## §. IX.

Quam noxius sit & inimicus sensibilibus saltem subjectis & valetudinariis aër nimium rarus levisque, ex ipsa experientia, optima rerum magistra, discere possumus,

mus, quae docet, quod ascendente mercurio in barometro ejusmodi homines vires augeri animumque incrementum sentiant. Hujus quidem rationem jam antea vidimus, sed simul quoque multum confert, quod aëre gravi existente vapores altius eleventur, inferiorque, in qua degimus, aeris regio purior evadat & a nimia humiditate; ut reliquas silentio praeteream noxias exhalationes, liberetur. Optimus igitur Vates erit Medicus, qui morbo chronico vexatis, ascendente in barometro mercurio, symptomatum mitigationem promittit. Contrariam vero formare prognosin debet, mercurio descendente, quo tempore vasa dilatantur, nervorum initium comprimitur, corpori somnolentia & ad motus ineptitudo, animo vero tristitia infertur, quae mala omnia augentur aëris humiditate, quae semper fere est levitatis indivulsus comes, quoniam nempe levior redditus aër vapores amplius sustinere nequit; et hi, proprio descendentes pondere, necessario inferiorem aëris occupabunt regionem. Testes sunt morbis chronicis plerisque laborantes, qui certo certius aegrotant, aut morbi saltem molimina sentiunt, aëre facto leviori. Oportet tunc imprimis de promovenda, diapnoicis corporisque motu, transpiratione sollicitos esse, cum aëre levi existente haec universalis exercitio non tam bene, ac in aëre gravi, succedat.

## §. X.

Levem aërem noxium appellavi, & pleno, uti existimo,

stimo, jure. Sed nonne hacce ratione injurius sum in dulcissimam patriam, & venerabiles illos prolixissima barba, nive candidiori, senes, praealtissimorum Helveticorum montium incolas aetherisque vicinos, qui, morborum expertes, vitae tandem pertaesi in decrepita moriuntur senectute? In montibus enim leviozem esse aërem, ex principiis physicis, & a priori, & per experimenta SCHEVCHIZERI in Alpibus capta a posteriori, extra omnem ponitur controversiam. Verum enim vero jam antea monui, aëris levioris noxios effectus non omnes a sola levitate, quam potius a nimia vaporum pendere praesentia. Priorem in Alpibus regnare, certissimum est, hocce vero adesse, falsissimum, cum multis rationibus demonstrari possit, si opus nunc esset spatiumque permetteret, quod minori longe montium cacumina, quam valles, referta sint vaporum quantitate. Consentit Illustris b. m. HOFFMANNVS, qui in *Medicina ration. system. Tom. I. pag. 334.* ita scribit: *Quum purus ac temperatus aëris habitus sanitati sit amicissimus, causa in proapatulo est, quare loca montosa, editiora, praecipue orientalibus ventis exposita & habitationes quoque rusticanae, corporis salubritati magnas suppetias ferant. Loca enim altiora aërem tenuiorem magisque sincerum & intaminatum alunt, quoniam ibi crebrior ventorum perflatus omnium exhalationum impurarum colluviem diffundit ac dissipat. Et quis tandem, nisi artis Machaoniae ignarissimus, affirmaret,*

morbos mortalium ex solo aëre originem trahere, cum potius in omnibus rebus non-naturalibus corporique applicatis, foecundissima illorum lateat mater. Jam vero haec gens Helvetica libera, ambitionis, avaritiae, scelerisque ignara, innocenti perfunditur voluptate, periculosa affectuum procella non agitur, nulla hic ciborum abundantia & delectus, nulla mensa secunda, nulla vina ex exteris advecta regionibus, dulces mortis insidiae, solum lac, caseus & succulentissima vegetabilia abunde sufficiunt ad vitae sustentaculum, ut etiam viderim, qui ne pane quidem vescuntur, tantum abest ut carnes ac condimenta mensis adhibeant. Aqua sitienti bibitur pura, limpida, crystallina, somnus non potest non placidus esse, curarum enim nescius est, motus non deficit, cum vitae sustentationem pariat, nihilque minus desiderare soleant hi homines, quam papyraceas opes, per vitam sedentariam multo sudore comparandas, non tamen nimius est motus, ut vires exhauriat, cum felicissimo fato destituantur superioribus avaris & ambitiosis, qui ex subditorum paupertate gloriam quaerant. Miraberis igitur amplius, Lector, in levi hoc aëre homines robustiores magisque aetate proVectos deprehendi, quam in graviori \*)?

## §. XI.

Sicuti calor omnia expandit corpora, sic frigus omnia constringit. Si existimas hoc de frigore, tanquam ente pri-

---

\*) Hallers Gedichte, pag. 16.

privativo, dici non posse, cum haec constrictio ab ipsa particularum corporis vi attrahente dependeat: veriori phrasi dicemus, corpora omnia calore privata se contrahere. Valebit sine dubio id etiam de corpore humano; interim tamen non una eademque per omnia contractionis corporis humani reliquorumque corporum a frigore est ratio. Quamvis enim ambabus largiar, elementa corporis humani se fortius attrahere, resistentia, quam ignis fecerat, ablata: tanto tamen, ac videmus, gradu non contingeret constrictio, nisi sensibilitate praeditum esset quod possidemus corpus. Sensationem enim cum excipiat motus sensationi proportionatus, quid mirum, quod a frigore solidae omnes, quae sensu gaudent, partes, vehementiori, quam alia corpora, vi constringantur? Fluida etiam compinguntur, sed non nisi immediata frigoris actione & ut solent fluida reliqua: a solidorum enim constrictione condensari nequeunt, cum experimenta a BOYLEO & *Academia Florentina* instituta evincant, fluida aëre graviora per vim externe applicatam comprimi non posse. Quamvis enim, quod demonstratum tamen non est, concedere vellemus, globulos sanguineos elasticos esse: sero tamen immixti sunt, & illorum compressio propterea eodem modo impossibilis redditur, ac compressio aeris, qui in poris aquae habitat.

## §. XII.

Frigus externa constringens, humores intus urget, majori itaque copia ad ventriculum feruntur & intestina, hinc major calor, auctior motus tonicus ac peristalticus ventriculi & intestinorum, largiorque humoris gastrici & laticis intestinalis secretio. Quae cum sint caussae digestionis primariae, consequens est, ut moderatum frigus ciborum digestionem insigniter promoveat. Recte igitur HIPPOCRATES: *Ventres hieme & vere natura calidiores sunt, quia iis aetatibus plus naturalis roboris possident, hinc iisdem temporibus digestiones celerissimae.*

## §. XIII.

Ponamus autem, aeris frigus vehementius esse, ut ad ipsas interiores partes corporis penetret, neque corpus motu satis exerceri: frigus, sensationem in intestinis & ventriculo excitando, constrictionem saltem in illis intestinis producet fortiolem, quae frigori magis fuere exposita, unde motus peristalticus fortior & inaequalis, & ob inaequalitatem flatuum in parte laxiori coacervatio, incarcerationio, dolores hinc a constrictis fibris intestinalibus, flatulentiae, & ob poros cutis constrictos largior feri falsi ad intestina affluxus, unde novi stimuli, novi dolores & constrictiones, satisque copiosa serosi humoris & aeris per alvum excretio, unico verbo, diarrhoea; crescente malo corroduuntur vasa, globuli sanguinei in vasa

vasa serosa pelluntur, per poros exeunt, & ipse sincerus excernitur sanguis. Caput si frigori exponitur, eo pejora patitur mala, quo nobilior pars est corporis; pericranium enim a frigore constrictum parit immanes cephalalgias; si ad duram matrem penetraverit, affectus spasmodicos & convulsivos; et cerebrum ipsum si denique frigore afficiatur, fatuitatem patitur & memoriae inconstantiam, ob relaxationem fibrarum cerebri, quae praegressam illarum excipit constrictionem. Respiratione haustus frigidus aër sanguinem in vasis pulmonalibus condensat, obstructionem & inflammationem inducit, efficitque peripnevmoniam. Pectus frigido Jovi expositum, praecipue post praegressum calorem, excitat pleuritidem. Pedes frigore correpti, vel ad superiora humorum efficiunt congestionem, indeque oriundas cephalalgias & catarrhos, vel ob nervorum in planta pedum abundantiam diarrhoeam abdominisque dolores immanes. Vehementissimum frigus si corpori fuerit applicatum, serum reliquique tandem humores coagulantur & mutantur in glaciem, quae cum majus, quam liquor frigore non coagulatus, occupet spatium, vascula minima & fibras aut plane dirumpit, aut saltem vehementer dilatando mirifice debilitat; unde postea, ob imminutum solidarum partium elaterem, necessario sequitur humorum ad haec loca congestio, tumor, pruritus, dolor & pernionum generatio. Si autem maximus fuerit frigoris

gra.

gradus, post atroces perpeffos dolores nervi fenfibilitate privantur, fanguis ad interiora cerebri congeritur fva-  
viffimamque inducit fomnolentiam, certiffimam mortis,  
fi his Sirenis indulferis, praenunciam.

## §. XIV.

Adeo periculofi & atroces cum fint frigoris effectus, juvabit corpus calidis veftimentis munire & fufficienti motu exercere. Non enim melius & fortius fuccedit tranfpiratio, quam fi corpus in aëre frigido exercitatione incaluerit, quod in hominibus videmus, qui hieme fer-  
ratis calceis fuper glaciem feruntur: adeo enim tranfpi-  
rant, tantumque brevi tempore de humoribus amittunt, ut animo linquantur, neque ullo analeptico felicius, quam pane cum lardo dato & carne fuilla fumo indurata, reficiantur. Praeparatus enim ex his chylus difficilime fubigitur diuque fatis cum fanguine circulatur, antequam adeo fubtilis redditur, ut tranfpiratione per poros cutis in auras abire poffit. Falleris, fi in tali cafu fpirituofa analeptica propinas: augent enim tranfpirationem, fluida diffipant, viresque auferendo lipothymiam inducunt.

## §. XV.

Veftimentorum hibernorum intempeftiva cum ver-  
nalibus commutatio quantam fanitati inferat noxam, dici vix potefl. Gravedo, coryza, tuffis, catarrhales fe-  
bres & intermittentes, funt confueti ejus effectus. Interim  
tamen

tamen semper excipiendi sunt homines, qui longa consuetudine & ipsa educatione frigus perferre didicerunt. Sic videmus hic Halae, saliscoctorum parvos filiolos nudo capite, pectore & pedibus, super nivem glaciemque decurrere, neque tamen de morbo conqueri.

§. XVI.

Praeter vestimenta, focum & motum, consueta illa frigoris remedia, in Suecia observarunt, cutim sebo illitam frigus facilius perferre, quod etiam ratione non destituitur: Pinguia enim, cutis fibras relaxando, impediunt fortiolem illarum frigore constrictionem, adeoque etiam frigoris sensum atque effectum.

§. XVII.

Si corpus prae frigore rigeat, cave ne statim illud calori exponas. Nulla enim alia mutatio corporibus ex triplici regno omnibus perniciosior est, quam congelatio & regelatio subito se excipientes & crebro repetitae. Metalla, lapides, vitra, candefacta & aquae frigidae immerfa, fragilissima fiunt. Vegetabilia refrigerata corrumpuntur, si statim iterum & cito calefiant, & caro, quae in aëre gelido diu conservatur, quam primum regelavit, in tabis speciem diffuit. Meliori longe consilio talia aquae frigidissimae injiciuntur, quae, calorem sensim sensimque restituendo, vehementiores regelationis effectus prohibet. Idem etiam cum membris extremo frigore rigidis facien-

D

dum

dum est: humores enim si jam in fibris congelati fuerint, in aqua, quae glacie semper calidior est, quamvis sit frigidissima, regelascunt, crustaque glaciali circumdantur, quae a communicato cum aqua frigore oritur.

### §. XVIII.

Aër frigidus morbos imprimis facit partium, quas immediate contingit, hoc est epidermidis, membranae Schneiderianae & pulmonis. Hinc catarrhi fiunt, quoties membrana Schneideriana, calefacta prius, subito refrigeratur. Tunc enim extremi vasorum fines a frigore constringuntur, humoresque inspissantur. Cum vero omnem spasmum excipiat atonia, hanc quoque constrictionem postea sequitur solidorum relaxatio humorumque resolutio. Transpiratio igitur in tali morbo erit promovenda &, secundum salutare HIPPOCRATIS consilium, suffitus sicci ex thure & mastiche adhibendi, quibus relaxata membrana Schneideriana iterum majus robur acquirit.

### §. XIX.

Nec rara, nec inaudita sunt hominum exempla, qui, postquam ex calido aëre in frigidum excessivo gradu se contulerunt, statim mortui procubuerunt. Facit hoc gelidus aër, in pulmones receptus, sanguinem coagulando atque sic excitando suffocationem. Oculorum humores si frigore concreverint, perfectam efficere possunt  
coe-

coecitatem, quales effectus a flante borea nonnunquam producti visi sunt. Scorbutus denique quantum frigori debeat, regionum septentrionalium incolae satis experiuntur. Miranda interim est divina sapientia, quae his terris largissimum dedit herbarum antiscorbuticarum proventum. Venenum sic adest & antidotum.

## §. XX.

Calorem omnia expandere corpora, & ex his fortius leviora, & quorum particulae leviter cohaerent, quam graviora & duriora, inter experientia stabilitas naturae leges pertinet. Expandet igitur quoque tam solidas, quam fluidas humani corporis partes, magis tamen has, quam illas. Hinc sanguis majus occupat spatium, vasa turgent, pori cutis dilatantur, exhalat magna feri copia, quam in cuticula coaeruatam, *sudorem* vocamus. Fluida igitur dissipantur, remanent solidiores particulae, terrestres imprimis & salia fixa, sanguis spissescit, quod potu copioso aquoso impeditur, qui tamen si aestus ingens fuerit, non amplius sufficit, cum piceae sanguinis massulae cum aquosis connubium respuant; aqua hinc epota statim per poros cutis iterum effluit, corpus exsiccat & ob copiosam fluidi nervei exhalationem debilitatur insigniter. Conducunt tunc lac, emulsiones & fructus hœraei, qui virtutem leviter saponaceam reconditam habent, quibus efficitur, ut aqua cum glutinoso misceri queat sanguine.

## §. XXI.

Cum aër nimis aestuans sanguinem spissiore red-  
dat, ideo aptus est ad producendas obstructions & in-  
flammationes. Febres igitur acutas & calidas facile ex-  
citabit, periculi eo magis plenas, quo magis a calore  
humores disponuntur ad putrefactionem.

## §. XXII.

Constantissimum inter transpirationem alvique &  
urinae excretionem intercedere commercium, SANCTO-  
RIVS experimentis demonstravit, docet itidem quotidiana  
quemvis experientia. Cum igitur aëris calor transpira-  
tionem nimiam sive sudorem excitet, consequens est, ut  
alvus tardior hoc effectu reddi debeat, quae alvi adstri-  
ctio ob accumulata, sub dissipatione fluidi, in sanguine  
salia fixa, non raro cum tenesmo conjungitur, quo mor-  
bo permulti calidissimarum regionum incolae misere  
perire solent. Urina eandem ob rationem rubra evadit &  
cum stranguria excernitur. Fibrae denique a calore  
elongatae debilitantur, minuiturque sicut solidorum poten-  
tia. Firmiora hinc corpora in borealibus, quam austra-  
libus regionibus, omni deprehensa sunt tempore, de  
qua re elegans apud Illustr. b. m. HOFFMANNVM, in *Me-  
dicin. rat. system. Part. I. pag. 335.* exstat locus: *Praestat,*  
*inquit, aëri subfrigido, quam nimis calido assuefieri. Po-*  
*puli septentrionales, aëri frigido assueti, plus virium ac*  
*robo-*

robore possident & corpore sunt longe habitiori, quam qui regiones, sub praecalida coeli inclinatione suas, incolant. Nimirum enim, qualis his regionibus familiaris est, solis fervor, corporis succos exurit & supra modum expandit, auctaque praeter naturam transpiratione ingentem viribus facit injuriam. Pervulgatus autem ac pessimi moris error est, cui obnoxiae sunt pleraeque matres, vel etiam mulierculae, quibus infantum cura commissa est, quando nimirum tenellos in continuo calore servant, & omni ex parte circumspiciunt, ne levi aura, vel aëre frigidiusculo, afflentur. Unde accidit, ut infantes hac ratione mirum in modum debilitati, quando sub coelo libero versantur, vel mississimi frigoris accessum graviter & interdum non sine laesione ferant. Laude hinc digna est veterum Germanorum consuetudo, quibus solenne erat, recens natos infantes aquae frigidae, vel ipsis fluminibus, immergere, non alium in finem, nisi ut corpora tenellorum, primis statim sub annis frigori assueta, constantius robur induerent. Praeterea facile oculorum labem incurrunt torridae zonae incolae, quod nimiae oculorum exsiccationi lucisque insigni splendori, a reflexis adeo vividae tot radiis oriundo, adscribendum esse existimamus.

## §. XXIII.

Vulgus Medicorum res per se noxias & salutare dari somniat; longe aliter rationales sentiunt Medici,

probe gnari, relative tantummodo salutare appellari debere, respectu semper habito ad hominis aetatem, temperiem, sexum, consuetudinem, morbum, & quae sunt reliqua. Valet idem de aere calido. Subjectis sicci-  
 oribus & cholericis minus talem convenire, ex dictis abunde patet; sed contraria plane ratio est cum phlegmaticis & pituitosis hominibus, utpote quibus insigniter prodest, nimiam humiditatem auferendo. Rari hinc ex aestuante aere catarrhi. Huc quoque pertinent hypochondriaci, qui nunquam pejus valent, quam si transpiratione cutanea ipsis non rite succedit. Hi, nisi sanguinis spissitudo morbum comitetur, multo melius habent aestivo, quam hiberno tempore; & relatam legimus, hypochondriacos, in zonam torridam profectos, symptomatum tantam expertos esse mitigationem, ut plane a morbo se liberatos esse existimaverint. Eandem ob rationem morborum chronicorum curatio calidiori anni tempestate, quo tempore viget transpirationis negotium, omnium optime succedit. Qua de re legi merentur verba Illustr. b. m. HOFFMANNI, *loc. cit. pag. 335.*

#### §. XXIV.

Siccus majori gradu aer eosdem fere effectus edit, ac nimium calidus, nisi quod non ut ille fluida humani corporis expandat. Aufert enim magnam feri quantitatem,

tem, transpirationem auget & corpus exsiccat. Corpus enim nostrum tanta semper exhalationum copia circumdatum est, ut nubi involutum existimares, si omnes videre posses. Has siccus aër continuo solvit & quasi absorbet, sicuti videmus, fluida omnia citissime exhalare, si aër siccus, tardius, si humidus fuerit. Non igitur optimae notae est aër, qui omnibus plane destituitur vaporibus. Potest interim nimia quoque aëris siccitas per plantas emendari, quae multum exhalant humiditatis.

### §. XXV.

Nulla alia aëris qualitas & perniciosior & reprehensione magis digna est, quam nimia ejus humiditas, praesertim si corruptis putridisque refertus sit exhalationibus. Aqua enim in poros corporum, a quibus fortiter satis attrahitur, penetrat, poros & corpora ipsa dilatat & flaccida reddit. Videmus hoc, si corium aquae injicitur; idem vero cum cute humana contingere, docent rugae fibrarumque flacciditas, quae oculis patent in manu diutius in aqua, praesertim calida, macerata.

### §. XXVI.

Humido aëre corpori humano diutius applicato flaccescunt omnia & debilitantur, motus supprimuntur,  
quod

quod eo minus mirandum, quum ipsae plantae emorian-  
 tur, si diutius in aëre humido permanferint. Cum  
 hac motuum suppressione semper fere conjungitur animi  
 moeror atque tristitia, in sensibilibus saltem subjectis,  
 cum tamen ejus moralem causam allegare nequeant.  
 Physica igitur suberit ratio, quae, quamvis demon-  
 strationis rigorem nondum ferat, probabilis tamen  
 non ultimo esse videtur gradu. Visum enim auditum-  
 que actione corporum delectari, quae fit in propor-  
 tione harmonica, a Physicis & Mathematicis extra  
 omnem dubitationis positum est aleam, sicuti certum  
 quoque est, displicere videnti audientique quae non  
 sunt in illa harmonica proportione. Cum gustu, olfa-  
 ctu & tactu, nondum licuit certa hac in re instituire  
 experimenta. Sed cur non iisdem subiciantur legibus,  
 equidem rationem nullam video. Ponamus igitur,  
 hoc quoque de tactu verum esse: grata motuum in  
 corpore contingentium erit perceptio, si nervorum  
 tensiones sunt in illa harmonica proportione. Jam vero  
 humidus aër, fibras relaxando, illorum tonum imminuit  
 harmonicamque tollit proportionem: Ergo sequitur,  
 ut perceptiones oriantur ingratae, quae non possunt  
 non ipsi animo molestae evadere. Hinc nunquam  
 videbis hypochondriacos magis de melancholicis con-  
 queri cogitationibus, quam aëre nebuloso existente &  
 humido; graviori autem facto & vaporibus dissipatis,  
 diffi-

dissipatur quoque tristitia. Quod autem nervi ipsi ab aëris humiditate relaxentur, tonum amittant, tandemque ob nimiam relaxationem sensibilitate plane destituantur, vel exinde patet, quod hypocaustum humidum inhabitantes non raro perfectam incurrant surditatem, quae non nisi a nervi acustici relaxatione derivanda est. His si pediluvia suaseris, malum augebis, quod melius longe & feliciter aufertur per suffitus siccos & hypocausti commutationem cum alio, in superiori aedium parte sito.

## §. XXVII.

Aër siccus inspiratus exspiratur humidus. Recipit ergo vapores e pulmonibus, qui per poros vesicularum pulmonalium exhalant continuo. Si vero ipse inspiratione acceptus aër humidus fuerit, parum poterit de humiditate pulmonis accipere, remanet ergo serum falsum in pulmonibus, quod fibras stimulando tussim excitat, quae ideo frequentior non est, quam aëre humido existente, praecipue si cum humiditate frigus conjunctum sit. Idem aër humiditate sua fibras mesochondricas relaxando respirationem difficiliorem reddit, unde frequentiora tunc temporis sensibilibus subjectis suspiria.

## §. XXVIII.

Alio praeterea modo vaporibus humidis refertus aër sanitati struit insidias. Solidis enim Medici rationibus demonstrarunt, innumeros in cute dari poros resorbentes, qui humiditatem ex aëre absorbent eandemque ad massam sanguineam fertunt. Unde tali tempore corporis pondus ad stateram augetur sensibiliter, quod *immortalis* invenit

SANCTORIVS.

## §. XXIX.

Frigidus aër, qui simul humidus est, transpirationem

E

sup-

supprimit majoremque aquosi humoris quantitatem sanguini infert, unde non potest non serosa oriri colluvies, morborum a feri impuritate pendentium foecundissima mater, quo pertinent catarrhales febres, leucophlegmatia, scabies, tumores oedematosi, diarrhoeae serosae, & pleraque, quae Medicis a caussa frigida oriri dicuntur, mala.

## §. XXX.

Aër humidus & calidus, humido & frigido periculosior adhuc est & cane pejus ac angue fugiendus. Aqua enim a calore in motum acta potentissime animalium partes destruit, quod vel sola resolutio cornu cervi, in vapore tepido suspensi, docere potest. In aëre calente & humido suspensa caro post viginti quatuor horas putrida redditur, quae in eodem calore, sed sicco aëre, intra triduum demum non putrida, sed rancida facta fuisset. Jam cum humanum corpus per naturalem ejus mixtionem ad putredinem maxime proclive sit: mirandum non erit, quod aër calidus & humidus vires simul ac semel prosternere, febres malignas, putridas, exanthematicas, pestemque ipsam producere valeat. Quare etiam ipse HIPPOCRATES pestem ex hoc fonte derivavit. Facile quoque inde intelligitur, cur in Aegyptiaca terra diri hujus mali quærenda sint incunabula. Nilus enim, quotannis littora transiens, insignem terrae tractum aqua sua inundat, quae deinde recedens, magnam terrestrium impuritatum, piscium & aquatilium, quae solis aestu corrumpuntur putridoque odore aërem replent, in terra relinquit copiam. Accedit foecunda insectorum generatio, quae putrido hoc liquamine & corruptis animalium corporibus nutriuntur, atque aërem malignis replent exhalationibus. Recte igitur rationales

les Medici in peste & morbis a putredine oriundis acidis pugnans. Nihil enim potentius putredini resistit illamque infringit, quam acida. Acetum vini, aceta sic dicta bezoardica, fumus sulphuris & pulveris pyrii acidus, spiritus nitri & vitrioli, tam puri in mixturis exhibiti, quam dulcificati, in talibus morbis felicissimo cum successu adhibentur, cum e contrario quantum tincturae alcalinae in his malis damni inferant, dici nequeat.

## §. XXXI.

Omne ex eadem ratione mare suspectum est: Sepulta enim & putrefacta continet animalia numerosissima, quorum immensa multitudo a 6000. annis in Oceano contabuit. Atque hinc sine dubio oritur bituminosum illud amarum ac intolerabile, quod in aqua marina deprehenditur & destillatione abigi non potest, sed in ipsum alembicum cum ingratisimo foetore ascendit. Non erunt igitur loca maritima sanitati convenientia.

## §. XXXII.

Aër non solum aquosis & putridis repletus est exhalationibus, sed demonstrari quoque potest, illum omnium corporum aliquam continere partem, quae sub exhalationum specie in eodem circumvolitat. Diversissimas propterea noxas inferre potest, si nimia fuerit in aliquo loco certae speciei corporum exhalatio. Quem fugit funestus vaporum carbonum candentium effectus, qui cerebrum petentes, homines sensibilitate privant, stupiditatemque tantam inducunt, ut etiam totum ipsis brachium comburi possit, iis nihil plane sentientibus, cujus rei exemplum mihi constat. His nisi cito succurratur, somnolentiam mors excipit, quod notissima illa Jenensis tragœdia, & similis hic Halae nuper observata, testatur.

## §. XXXIII.

Metallicae exhalationes quid valeant, ab aurifabris discimus & metalli fossoribus. Priores a mercurialibus exhalationibus artuum patiuntur tremores; posteriores vero morbos pro exhalationum diversitate diversos, inter quos nullus crudelior est, quam spasmodicus ille, quo homines corripuntur quibus cum plumbo fundendo & inde separando negotium est, quemque Germani die *Hütten-Kage* appellare solent. Misere enim contorquentur, artus rigent & immobiles fiunt, atque immanes patiuntur aegroti colicas passiones. Provida tamen natura divinum his hominibus dedit remedium, non in auro & argento, sed minori longe pretio comparanda antimonii minera latens. Huic enim tanquam gravi corpori, metallica particulae adhaerent, aliam induunt naturam & brevi labore ex corpore propelluntur, omnibus vegetabilium essentiis non superabiles.

## §. XXXIV.

Motus aëris *ventus* dicitur. Vanissima persuasione homines existimant, ventum tranquillo aëre esse frigidiorum. Physica potius cum thermometris facta experimenta docent contrarium. Quod vero nostri corporis respectu quiescente aëre frigidior sit, verissimum est: Corpus enim humanum dum vivit semper est aëre atmosphaerico calidius, & calida propriarum exhalationum circumdatum atque involutum atmosphaera. Hanc ventus aufert & propterea frigidus existimatur. Adfert vero ventus aërem vel frigidum, vel calidum, vel humidum, vel siccum; unde ejus effectus ex dictis dijudicari possunt. Sufficiant ergo haec, cum plura, ad utilissimam hancce materiam spectantia, iisdem addere temporis ratio jam non permittat.

NOBI.

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
D O M I N O  
C A N D I D A T O  
S. P. D.  
P R A E S E S.

**E**x quo turpe illud, in verba HIPPOCRATIS & GALENI iurandi, excussum est iugum, liberius utique de artis nostrae dogmatibus philosophari ceperunt Medici. Detecta sanguinis circulatio mentis antiquas absterfit nebulas, & aliter multa explicare coëgit atque ab antecessoribus factum erat. In quantum vero perfectionis gradum ab eo tempore enixa sit, quo summi in arte viri reliquarum cultiorum scientiarum adserta & consecraria, magno sane ausu, sed felicissimo simul cum effectu, in eam transferre sustinuerunt, neminem sane fugit. Horum namque solertia res eo utique perducta est, ut Matheseos totius non evertendae computationes, Physices phaenomenorum, in corporibus praesentium, sanae explanationes, Chymiae demum intima substantiarum scrutinia, in artis medicae summum nunc cedant commodum. Quo maioris autem momenti esse poterunt haecce omnia, eo magis quoque laudandi sunt illi qui passim quaedam non satis exhausta, nec ab omnibus plane dubiis liberata, exactius indagare, explanare, & indubiis experimentis confirmare nituntur. Idem ergo hoc, cum & in Tua inaugurali Dissertatione

tatione unice Tibi proposueris, NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, atque insistendo vestigiis celeberrimorum ac doctissimorum Virorum, qui in utilissimo hocce argumento, ex Physica ad Medicinam spectante, uberius enodando multum iam occupati fuerunt, varia ad illustrationem & ulteriorem confirmationem eorum, quae iam ab Illis edocti sumus, concinno ordine proferas, merito & hosce Tuos conatus omni laude dignos mecum censebunt aequi eorum aestimatores. Optime sane hac ratione demonstras, utilissimis naturalis Philosophiae studiis inprimis quoque deditissimum Te fuisse, hisque, ceu fundamentis, superstruxisse & pulcherrimo connubio iunxisse medicae artis praecepta. Testis & ipse ego sum, quanto cum animi fervore, quam indefesso studio & haud interrupto labore in addiscenda saluberrima medica scientia per integrum illud plurium annorum spatium, quod in Fridericiana nostra consumpsisti, occupatus fueris, ut vere idcirco adseverare queam, Te nihil plane intermisisse eorum, quae ullo modo accessionem foenerari poterant solidae Tuae eruditioni. Gratulor igitur Tibi ex animo de studiis Tuis probe maturis, deque supremis nunc adipiscendis honoribus, iustum illorum praemium & perpetua laudis ac liberalis Tuae doctrinae monumenta constituentibus. Servet & in posterum DEUS T. O. M. saluum Te & incolumem feliciterque ad patrios reducat lares, ac omnia & singula demum votis meis sinceris Tuaeque virtuti & eruditioni consentanea evenire clementissime iubeat. Vale.

Dabam in Fridericiana, IV. Iduum Augusti,  
A.O.R. MDCCXLVII.

NOBI.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO  
CANDIDATO,

S. P. D.

D. JO. GOTTLOB KRÜGER,

MEDICINAE PROFESSOR PVBL. ET ACADEMIAE IMPERIALIS  
NAT. CVRIOSOR. NEC NON REGIAE BORVSSICAE  
SOCIET. SOCIENT. SODALIS.

**E**GO vero honores academicos TIBI non gratularer, amicissime HERRENSCHWAND? certe officio mihi que ipsi deessem, nisi quanti TE faciam, quantumque honestissima TVA consuetudine & proficiendi ardore delectatus fuerim, publice significare, meaeque erga TE voluntatis, amoris ac amicitiae testimonium aliquod edere vellem. Facio id eo lubentius, eoque majori cum gaudio, quo rariores sunt in Academiis TVI similes. Veri enim rectique studium in hac bonarum artium

tium sede bonis omnibus abunde approbasti, prudentiam in omnibus tuis actionibus demonstrasti imitatione dignam maximeque laudabilem, talemque morum elegantiam ac probitatem, ut fateri cogar, TE, quem diu satis aedium mensaeque socium habui, mihi nunquam molestum, sed amantissimum semper fuisse suavissimumque amicum. Praeterea flagranti cum ardore Minervae castra secutus es, & praeter celeberrimos Academiae hujus, quos frequentasti, Viros, meis quoque acroasibus attentus, sedulus, indefessus interfuisti auditor, sive mathesin demonstrarem, sive naturae aeternas leges explicarem, sive denique BOERHAVII judiciofa resolverem aenigmata: Gratulor igitur TIBI, amicissime HERRENSCHWAND, & vere quidem gratulor studiorum Academicorum stadium feliciter emensum, virtutisque non vulgarem gloriam; gratulor HONORATISSIMO PARENTI filium tot exornatum meritis; gratulor patriae Medicum prudentem & rationalem; gratulor denique & mihi ipsi, TIBIQUE gratias ago, quod spem, quam de TE conceperam aliisque feceram, non fefellisti, sed superasti potius. Vale igitur rectissime, meque, qui TIBI fausta quaevis apprecor, amare perge. Dabam Halae Magdeburg.  
d. X. August. MDCCXLVII

